



LIBER SECVNDVS,

D E

ORATIONIS PURITATE,
ELEGANTIA ET ORNATV.

Tres gem-
mae seu
virtutes o-
rationis.

Quoniam proximo libro de rerum inuentione & tractatione egimus: Consequens nunc est, vt de verbis seu sermone ipso, paucula quaedam in rudiorum gratiam moneamus.

Sermonis seu orationis tres sunt potissimum gemmae, seu virtutes, videlicet *puritas, elegantia, & ornatu*.

Quemadmodum in corpore humano requiritur primo totius sanitas & integritas; deinde partium omnium inter se elegans combinatio, symmetria atque proportio: Et porro cultum, seu habitum externum, quo corpus sanum & elegans eximie ornatur & decoratur, accedere oportet: Eodem modo in venusto orationis corpore totidem inter se conspirare necesse est. Primo enim orationem puram & castam esse oportet. Tum etiam omnia eiusdem membra elegantissimo inter se ordine & harmonia componi debent: Et demum ornatu, qui in tropis & figuris consistit, requiritur.

DE ORATIONIS PURITATE.

Puritas orationis comparatur lectione & obseruatione.

Ad puri-
tatem qui-
nam au-
ctores le-
gendis.

lectio iis potissimum auctoribus tribuenda & consecranda est; qui vna cum Roma dicendi gloria floruerunt, cuiusmodi in primis Cicero, & qui proxime ad illum accedunt, vt Terentius, Caesar, Salustius, Virgilius, &c. Quo enim auctores omnes Latinae linguae à Cicerone abfuerunt propius, eo quoque meliores extitere; quo vero longius, eo etiam deteriores.

Quatuor
latinorum
auctorum
secula.

Quatuor autem fuerunt Latinorum auctorum secula, (teste Hadriano Cardinali de Oratione Latina,) videlicet 1. *Antiquissimum*. 2. *Antiquum*. 3. *Perfectum*. 4. *Imperfectum & Corruptum*.

1. *Antiquissimum* fuit ab vrbe condita vsque ad Liuium Andronicum spacio annorum 514. In quo multi quidem fuere viri docti, cum tamen eorum scripta etiam Ciceronis tempore non extiterint, praeter Appii Cæci orationem, & quaedam mortuorum laudationes, vt Cato in Originibus memorat.

2. *Ant-*